



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XLIX. De Immunitate Ecclesiarum Cæmeterii, Et Rerum Ad Eas
Pertinentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

servitutam, propter juramenti ad hunc casum se non extendentis religionem, eò quòd periculum salutis animarum, propter carentiam divinorum, meritò timeri possit.

Notandum. Quæ circa novæ Ecclesiæ ædificationem, intra limites alterius

antiquæ parochiæ statuta sunt, in cap. supra dicta sunt; & quoddam juramentum ad hunc casum novum & extraordinarium non extendat, ubi animæ salus veretur, & periculum illius meritò timeatur, valert etiam *Glossa hic v. juramenti.*

TITULUS XLIX.

DE IMMUNITATE ECCLESiarUM, CÆMETERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

CAPITULUM I.

Ut in domibus.

PARAPHRASIS.

Statuit in hoc cap. Pontifex, quòd iudex sæcularis, sive legatus ille sit Principis sæcularis, sive Comes, aut alius officialis, vel minister, in domibus Ecclesiarum, jus dicere, sive judicare causas forenses non possit; neque in talibus domibus hospitium sibi vendicare, quasi hoc pro consuetudine sibi liceret, sed in publicis locis domos constituent, in quibus jus dicant,

SUMMARIUM.

Judex secularis quando possit jus dicere in domo ad Ecclesiam pertinente.

Notandum. Prohiberi in hoc cap. ne iudex sæcularis, aut jus dicat, lites forenses decidendo in domibus, quæ ad Ecclesias pertinent, aut hospitium ad habitandum sibi vendicet, publica auctoritate, quasi hoc ex consuetudine recepta sibi debitum liceret, cum talis consuetudo velut onerosa Ecclesijs meritò improbetur: & quamvis ex charitate in his etiam ædibus Laico judici habitatio concedi possit, ac possit etiam in talibus ab Ecclesia conductis

domibus habitare, & jus dicere, non potest tamen hæc talia licetè facere, quasi jus ali- quod hospitandi & judicandi in talibus ædibus publicâ auctoritate, vel ex approbata consuetudine habeat, nisi fortassis patrono, aut alteri de Ecclesia bene merito hospitium in talibus ædibus reservatum cum auctoritate Episcopi fuisset, *argum. cap. Eleutherius 30. caus. 18. q. 2. prout etiam docet Azor part. 2. l. 9. c. 9. q. 8.*

CAPITULUM II.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopo Tricensi rescribit in hoc cap. Pontifex Gregorius IX. nullum excommunicatum debere in casu necessitatis à carcerum contra hostem custodia, sub prætextu, quòd Ecclesiæ Romanæ aut d'æcessis Tricenis subditus sit; sed omnes ad hoc (quæ senes sint) generaliter compellat, quatenus cunctis vigiliis, ut ait Pontifex (successivè scilicet vel simul) melius valeat Civitatis custodia procurari,



Clerici quando teneantur ad defensionem civitatis contra hostes?


Notandum. Quòd textus hujus Capituli non quidem clarè & apertè de Clericis loquatur, quos à murorum Civitatis custodia etiam contra pyratas maritimas eximit *cap. reprehensibile 19. canf. 23 q. 8.* quia militum Christi est, ut dicunt hic jura, Christo servire, & militum sæculi, sæculo servire. Et in *cap. non minus quarto h. t.* generaliter pronuntiantur Clerici ab oneribus publicis immunes, ut ne avocentur à divinis officiis: rectè tamen ex verborum generalitate, ex communi doctrina de privilegij cessatione, ubi gravis & non vulgaris necessitas urget, inferunt alij, neque Clericos in tali necessitate extraordinaria, à muris civitatis contra hostes tuendis excusari; non quidem, quasi per sæcularem jussionem ad hoc compelli possint, sed per Episcopum suum, & sine detrimento divini cultus, cui relata in contrarium jura cavere volunt.

CAPITULUM III.

Indicatum est.

PARAPHRASIS.

Rescivit Pontifex rusticos quosdam sive colonos (adscriptitios Ecclesiæ, terræ hujus colendæ sive glebæ perpetuò obligatos, de his enim *cap. h. loquitur*) rura Ecclesiæ, quibus colendis obligati sunt, deserere, & privatorum aliorum possessiones colere; tolerandum proinde hoc non esse deinceps, nec permittendum in *cap. statuit*. Textus clarus est, & ubi tales adscriptitij Ecclesiæ coloni reperiuntur, observandus.



Non minus.

PARAPHRASIS.

Gravibus verbis conqueritur in *h. cap.* Alexander III. Pontifex in Concilio Laterano, contra insolentias Laicorum quorundam Magistratum, qui Clericos & Ecclesias tot oneribus & exactionibus vexant, ut deterioris conditionis factum sit hodie Christianæ legis Sacerdotium, quàm fuerit olim profanum Sacerdotium sub Pharaone, qui quamvis nullam divinæ Legis notitiam habuerit, suos tamè sacrificulos gentiles, suæ libertati, in publica etiam famis necessitate reliquit: & rectissimè cum Jeremia Propheta lamentari possimus, quòd princeps Provinciarum facta sit sub tributo, dum universa propè onera, ad quamlibet necessitatem expediendam Ecclesiarum & Clericorum bonis imponunt, cum ingenti jurisdictionis laicæ, quæ ad bona Ecclesiastica se non extendit, abusu, & Ecclesiasticæ potestatis imminutione. Prohibet proinde Pontifex, ne in posterum hæc talia fiant, sub excommunicationis pœnâ, tam ab eis Laicis, qui talia onera imponunt, incurrendæ, quàm ab horum fautoribus; nisi Episcopus & Clerus tanta necessitatem, vel utilitatem aspexerint, cui relevandæ Laicorum facultates non sufficiunt, quo in casu per Episcopum subsidia Ecclesiarum etiam conqueri poterunt.

SUMMARIUM.

1. *Clericorum & Ecclesiarum immunitas ab importunis Laicorum Magistratum exactionibus, non tantum in utroque jure positivo, sed in jure etiam naturali fundatur.*
2. *Quid fieri debeat circa tales exactiones, sine necessitas, vel boni publici utilitas*

Xxx ;

litas

litas urgeat, satis docet hoc Capitulum.

3. Probabilius est, quod neque in eo casu, quo necessaria videntur Clericorum contributiones ad onera, vel impedienda damna, tam Laicis quam Clericis communia, inconsulto Pontifice fieri possint.
4. Certum tamen est, quod, nihil consulto Episcopo aut Pontifice, ad tributa obligentur Clerici eodem modo, quo Laici, si negotiationem exercent.
5. Quando censeantur Clerici negotiationem exercere?
6. De pena excommunicationis tam in hoc cap. quam alibi statuta contra Laicos talia onera Clericis vel Ecclesijs imponentes, & horum fautores.

Notandum primò. Iustissimam & sanctissimam fuisse Alexandri III. Pontificis, viri omnium scientiarum literatura & virtutum splendore conspicui, quem S. Bernardus immensis laudibus exornat, & Concilij Lateran. ab eo convocati querelam, contra Laicorum quorundam Magistratum importunam, & sine ullo justo titulo temerè assumptam in Clericos & Ecclesias jurisdictionem, vi cuius licentiam sibi arrogant, omni exactionum & onerum genere vexandi eas, cum tamen non tantum SS. Canones hoc cap. 4. & cap. adversus 7. h. t. cap. 1. eodem in sexto cap. quamquam 4. de censibus &c. in sexto, Clement. un. de immunitate &c. neque jura civilia tantum L. 2. cod. de Epif. & Clericis, Constit. Item nulla, qua est Friderici Imperatoris post relaxatam legem posita, non tantum jura recentiora Trident. Concilij Sess. 25. cap. 20. de reform. sed jus naturæ etiam ab hac importuna, & nihil fundita jurisdictione, & exactione, velit esse eos inamnes; prout satis innuit Pontifex, dum exemplum refert Pharaonis, tuos sacrificulos ab omni onere eximentis, solius scilicet naturæ ductu, in communi totius Ægypti necessitate, alimoniam ex publico illi potius assignando, quam ut eorum bona tributaria fa-

ceret, quamvis aliorum subditorum bono suo fitco pro coemendo frumento adixerit. Neque sub prætextu necessitatis, aut utilitatis boni publici amplius aliquid Laico Magistrate in Clericos & Ecclesias competere, cum in hoc cap. uti & in pluribus alijs, caustissimi Pontifices, quid circa exactiones publicis necessitatibus relevandis necessarii agendum sit, prudentissimè præciperint, ut nec necessitatibus talibus sublevandis decissent ab Ecclesijs etiam Clerici collecta media, neque tamen immunitatem etiam pateretur; mandantes scilicet, ut ubi judicaverit Episcopus cum suo Clero (cum suo scilicet Cap. Cathedrali, cui regulariter à Clero toto commissa potestas continetur, talia negotia ad Clerum omnem spectantia decidendi) non sufficere facultates Laicorum (communes scilicet civitatis v. g. facultates) relevandis publicis necessitatibus, aut utilitatibus, subdijta per Ecclesiam conferatur, non quidem juxta voluntatem, aut exactionem Laicorum, sed ad voluntatem, & imperium Episcoporum, cum Pontificis consensu (si tamen negotium moram patiatur consulendi Pontificis; in casu enim, quo Pontifex consuli non possit, eo quod in mora sit periculum, sufficeret solus Episcopi consensus & imperium) habita tamen prius eum Clero consultatione; & si continuanda foret talis exactio, consulendo pòtemodum Pontificem, ut ait Suarez.

Notandum secundò. Putare quidem multos, in eo etiam casu contribuendum esse Clericis, nihil interrogato Pontifice, ad Laicorum voluntatem, quando proxime scilicet imminens, aut præsens necessitas, æquè directè ac immediatè bona Ecclesiarum & Ecclesiasticorum respicit, ac Laicorum, ut cum contra Fidei aut patriæ hostes, omnia bona sine discrimine devastant, collectæ sunt necessariæ, aut cum hæ necessariæ sunt ad commune malum averendum, eluvionis v. g. vermium &c. quibus tam Ecclesiarum quam Laicorum prædij destruantur. Rectius tamen & communiùs alij putant, etiam in hoc casu contribu-

iones tales à Laicis exigi non posse, Pontifice non pramonito, & sine hujus licentia, cum jura universaliter loquantur *cap. adversus 7. h. r.* consulendum prius Pontificem, quandocunque in casu necessitatis à Clericis contribuendum sit, ex Episcopi, & ipsius Cleri judicio; nisi periculum esset in mora, prout in superiori notando jam animadvertum, ubi solius iterum Episcopi consensus & imperium sufficit, habità prius cum Clero consultatione.

4 Notandum tertium. Facile concedere omnes; à Clericis, etiam nihil consulto Pontifice, aut Episcopo, tributa solvi debere juxta Laicorum exactiones, si scilicet negotiationem, quæ pluries etiam in SS. Canonibus Clericis prohibita est, exercent: hoc enim in casu certum est, quòd ex rebus per negotiationem acquisitis, aut quas negotiationibus imposita, & consueta onera, instar Laicorum obligentur; æquum enim est, ut qui negotiationum lucris inhiant, negotiatorum etiam onera ferant, prout expressè etiam deciditur in *cap. quamquam, de Cens. in sexto.* & colligitur ex *cap. ex litteris fin. de vita & honest. Clericorum:* Et quamvis in *hoc fin. cap. trina* prærequiratur monitio, puto tamen, hanc non requiri in ordine ad libertatem à tributis amittendam, quàm ipso facto, ut ait Pontifex, abijciunt, sed ut alijs etiam privilegijs fori & Canonis, & exemptionibus à statutis patriæ priventur. Tum autem censeberis negotiationem, Clericis prohibitam, & tributis subiectam, exercere, cum exemptione, formaliter accepta, lucrum intendis, res v. g. emendo ex hoc fine, ut eas vel immutatas, in loco tamen, & tempore, cum majore pretio vendi possunt, vendas; vel mutatas quidem, labore tamen & opere ministrorum ad hoc à te conductorum: hinc negotiationem non exercent illi, qui vel omnia bona sua, vel bonorum suorum sive patrimonialium, sive Ecclesiasticorum fructus vendunt; vel vendunt iterum, quod sibi sustentandis coemptum, superfluum

est; aut suà industrià, vel prædiorum suorum sumptibus, in hanc formam redacta majoris pretij effecerunt &c. cum in istis casibus ab his vendentibus, non ex ipsa emptione formaliter accepta lucrum quærat, sed lucrum illis eveniat, vel ex fructibus suis aut suorum prædiorum, vel quòd talia non emerint, animo revendendi, quem animum tamen negotiatio ista, propriè dicta requirit.

Notandum quartò. Statui quidem in *hoc cap.* pœnam Excommunicationis, tam in eos Laicos, qui onera talia Ecclesijs aut Ecclesiasticis imponunt, quàm in eorum fautores, qui scilicet auxilium, consilium, aut favorem ad tales iniquas exactiones præstant, & non tantùm in pluribus SS. Canonum textibus, ac in Bulla Cœnæ singulis annis hanc sententiam Excommunicationis ferri, & mandari contra cujuscunque conditionis Laicos talia tributa, & tales exactiones, absque Romani Pontificis speciali ac expressâ licentiâ, Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis, ac eorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, fructibus, proventus, & redditibus imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, vel sic imposita (ut imposita scilicet à Magistratu Laico) etiam à sponte dantibus accipiunt (de qua Bullæ excommunicatione videri potest *Suarez de censuris sect. 2. n. 99. & sequentibus, Bonacina tom. 3. de censur. disp. 1. q. 19.*) à qua absolvi non debeant, quamvis officium jam deposuerint, donec competentem fecerint satisfactionem, restituendo ea, quæ iniqua tali exactione, officij tempore, in bonum cujuscunque alterius sæcularis, Principis, aut Communitatis extorserunt, prout etiam *Abbas in cap. adversus 7. n. 3. & 8.* docet, ita ut si sæcularem v. g. Principem, ad cujus favorem tales exactiones fecerunt, ad restituendum inducere non possint, ipsi officiales, qui talium exactionum fautores, aut causa fuerunt, ex suo satisfacere debeant, prout iterum advertit *Abbas l. c. n. 9.* & colligunt

gunt auctores ex *cap. adversus*. Hæc inquam, statuunt quidem jura in *hoc cap. non minus*, praxis tamen utrum ea observet, viderint illi Prælati Ecclesiastici, quibus in *Extravag. quod olim hoc tit. inter communes*. decreta Conciliorum in *cap. non minus 4. & in cap. adversus 7. hoc tit.* observanda sub interminatione gravissimæ pœnæ præcipiuntur.

CAPITULUM V.

Cum Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Rescivit Lucius III. Pontifex, quod in Ecclesijs & Cæmeterijs (quæ eodem privilegio gaudent cum Ecclesijs, ut ait *Glossa hic V. Cæmeterijs*) causæ criminales tractentur, in quibus de sanguinis effusione, vel pœna corporali decernitur: cum autem Ecclesia secundum Evangelium domus orationis esse debeat, & tutela refugij, ut ait Pontifex, fieri non debet spelunca latronum, & forum sanguinis: & hinc sub interminatione Excommunicationis (inferendæ scilicet per judicem Ecclesiasticum) prohibet, ne hæc talia criminalia judicia in Ecclesijs, vel cæmeterijs tractentur.

SUMMARIUM.

1. Satis quidem certò colligitur ex hoc *cap. quod cause Sanguinis in Ecclesijs, aut Cæmeterijs agi non possint.*
 2. Nullibi tamen in *jure Canonico reperitur prohibitum, ne judicia Ecclesiastica in Ecclesijs expediantur: quamvis decentius, & convenientius sit, hæc v. g. in palatio Episcopali, aut alibi extra Ecclesiam expediri.*
- 1 Notandum primò. Rationem prohibitionis pontificiæ satis exprimi in *relat. cap. quod scilicet Ecclesia domus orationis esse debeat, & tutela refugij, & consequenter non sit pro conditione aut reverentia lo-*

ci facti, forum illud fieri cruentarum sententiarum & judiciorum criminalium, ubi de sanguinis effusione; aut pœna alia corporali infligenda agitur. Et quamvis nec ex verbis textûs, nec ex ratione satis colligatur, quod judicia Ecclesiastica, in quibus de puniendis Clericorum criminibus agitur, in Ecclesijs aut Cæmeterijs prohibita sint; imò potius his faveat *cap. præceptum 6. cap. 7. q. 2. & cap. qua fronte de appellat.* cum per talia judicia nec forum sanguinis Ecclesia fiat, & omnia minore strepitu expediantur, quàm judicia criminalia secularia: fatentur tamen communiter Auctores, uti videre est apud *Suarez l. 3. cap. 4. n. 11.* decentius hæc, & convenientius expediri in palatio Episcopali, vel alio in loco extra Ecclesiam, cum Ecclesia sit domus orationis, non autem jurgiorum, prout etiam in *cap. qua fronte jam notatum, & in cap. 2. hoc tit. in sexto infra dicitur.*

CAPITULUM VI.

Inter alia.

PARAPHRASIS.

Ex Papa Innocentio III. Rex Scotia quæsit, utrum fugientes ad Ecclesiam defendi debeant. Respondet proinde hinc quæstioni Pontifex, juxta SS. Canones, & legum civilium traditiones, distinguendum esse: vel enim fugiens ad Ecclesiam liber est, vel servus; si liber est, quantumcunque gravia delicta commiserit, ab Ecclesia, ad quam ut asylum confugit, violenter extrahendus non est, nec ad mortem, aut corporalem penam damnandus, sed obtemperans per Recedens Ecclesiarum vitæ & memororum incolumitate, ac integritate, aliâ legitimâ pœna (pecuniaria v. g. ut ait *Glossa hic V. puniendus.*) puniri debet, nisi publicus latro vel nocturnus populator agrorum sit, aut publicas vias oblectat suis insidijs, qui ab Ecclesijs etiam nulla de-

ensione aut impunitate praestita extrahi ad poenam debent: si vero servus sit, qui ad Ecclesiam asylum confugit, & dominus ejus de impunitate personae illius, juramento caverit, ad servitium suo domino reddi debet, & invitus cogi potest; aliàs à domino propria auctoritate occupari poterit.

SUMMARIUM.

1. Qui post crimen commissum confugit ad Ecclesiam, tanquam asylum, extrahi inde violenter non potest, nisi in casibus de jure aut aequivalente consuetudine exceptis.
2. Hac asyli immunitas non est quidem in novo testamento juris Divini, aut juris naturae, recte tamen ab utroque jure positivo humano statuitur.
3. Quanam Ecclesiae, aut pia loca, hac immunitate asyli gaudeant?
4. Non tantum fideles baptizati, quamvis sint excommunicati, interditi &c. sed infideles etiam, in criminibus non exceptis, ad Ecclesiam confugientes, hac immunitate gaudent, saltem si serio converti velint.
5. Etiam Rei in causa civili hac immunitate gaudent, si ad Ecclesiam confugiant.
6. Quanam casus censeantur excepti de jure antiquo, ita ut qui eos incurserunt, non gaudeant immunitatis hujus asyli?
7. Quanam exempti censeantur, post bullam Gregor. XIV. qui totam hanc immunitatis materiam ad certam formam reduxit?
8. Ita tamen, ut locum etiam habeant privilegia circa hanc immunitatem post dictam bullam concessa, aut consuetudo introducta.
9. Probabile est, quod etiam Clerici in criminibus non exceptis hoc immunitatis privilegio contra suum Ecclesiasticum Magistratum gaudeant, sal-

tem si ad aliam Ecclesiam, cujus membra non sunt, confugiant; probabilis tamen est contrarium.

10. Certius tamen est, quod extrahi in criminibus non exceptis, Clericus non possit, ut judici seculari puniendus in corpore, vel vita tradatur.
11. Modus, qui extrahendo reo in criminibus exceptis adhiberi debet.
12. Poena civilis juris, contra violantes hanc immunitatem hodie fortassis non amplius sunt in usu, obtinent tamen adhuc poena & censura Canonica.
13. Quae sint commoda & effectus hujus immunitatis.

Notandum primum. Quod ex hoc cap. generalis regula deducatur, quod nullus reus propter crimen quaecunque, si ad Ecclesiam tanquam ad asylum confugit, inde violenter extrahi possit, nisi in casibus de jure communi, aut aequivalente consuetudine exceptis. Et quamvis haec sacri hujus asyli immunitas nec Divino Jure (in novo saltem Testamento) nec naturali statuta sit: constituta tamen est tam Jure Civili, quam Canonico Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt, & Authen. de mandat. Princip. cap. id constitimus, caus. 17. q. 4. cap. sicut antiquitus, cap. reum cap. si quis contumax, & cap. definitur ibidem. Nec tamen propterea dici potest, hoc jus asyli adversari bono publico reipublicae, cujus interest crimina non manere impunita, cum per eam non omnis poena delicto debita tollatur, sed ea tantum, quae reverentiae loci videtur obesse, & minus liberam ac securam Deo supplicandi, & delictorum veniam petendi orationem reddere. Certè si principum status aut palatia, talis nonnumquam asyli immunitate de Jure Civili gaudeant, cur non etiam haec concedatur pijs ac religiosis, & Divino cultui destinatis Ecclesijs, aut similibus pijs locis? Videatur Theolog. Moral. L. 4. r. 9. cap. 3. n. 1.

Notandum secundum. Gaudere hoc jure asyli non tantum Ecclesias consecratas,

Yyy

sed

sed etiam si nondum consecratae sint, modò sint auctoritate Episcopi benedictae, vel ad usum publicum sacrum (per primi v. g. lapidis, Episcopo approbante, factam positionem, & Crucis erectionem &c.) ad Divina officia ac sacrificia &c. deputatae arg. cap. *Ecclesie 9, hoc t.* quamvis nondum Divina officia in illis celebrata fuerint, neque sacra Eucharistia ibi asservetur; quamvis sint interdictae Ecclesiae illae, aut dirutae (non tamen auctoritate Episcopi in profanum usum redactae) vel pollutae, & nondum reconciliatae &c. cum Pontifex absolute dicat, Ecclesias Divinis obsequijs dedicatas (id est destinatas auctoritate Episcopi, ut communiter intelligunt Auctores) gaudere immunitate hac. Videatur *Theolog Moral. l. c. n. 2. & 3.* ubi etiam habetur, quòd hac immunitate gaudeant (de jure scilicet, quicquid sit de praxi) Ecclesiae, non tantum quoad totam fabricam tam exteriorem, quam interiorem, quoad sacrificia scilicet, quoad porticum, quoad atrium, quoad rectum, quoad turrim &c. aut quolibet modo Ecclesiae adhaerentia, uti dicitur in cap. *si quis contumax caus. 17. q. 4.* ubi Glossa. v. *adhaerentibus* allegat legem ff. *de rei vindicac.* ubi dicitur, quae Religiosis adhaerent, religiosae sunt. Et quamvis Ecclesia non violetur per casus violantes Ecclesiam, si in recto ipsius vel sacrificia &c. committantur: consuetudo tamen optima legum interpretis, favorabilem hanc immunitatis extensionem admittit, non autem odiosam. Illam tamen extensionem immunitatis hujus, quam jura ad circuitum Ecclesiae 40. passuum concedunt, fortè hodie non fatebitur consuetudo, ad exemplum prope Ecclesiam, auctoritate Episcopi pro sepultura fidelium destinatum, asylum hoc restringens. Rectius tamen ad monasteria Religiosorum secundum totum ambitum (non tamen ad villas tantum eorum, ad usum quidem monasterij, vel Religiosorum recreationem conducentes, separatas tamen à monasterijs) hospitalia

auctoritate Episcopi erecta, Episcoporum palatia (uti habetur in cap. *id confirmamus caus. 17. q. 4.* juncta Glossa v. *Domo*) & Cardinalium (saltem extra urbem & situm Ecclesiasticum, ut advertunt Auctores post Bullam Gregorij XIII. & Sixti V.) hanc immunitatem extendunt; qui nisi ad Sacerdotem, qui SS. Eucharistiam deportat, aut sub umbellam, sub qua sacerdos Cubus deportatur, confugiens, hac immunitate gaudere videtur, cum non minor reverentia huic Eucharistico Ferculo debeatur, quam Ecclesijs, ubi Eucharistia consecratur, & asservatur &c.

Notandum tertium. Gaudere hoc immunitatis asylo omnes ad Ecclesiam confugientes, non tantum fideles & baptizatos, quamvis interdicti, & excommunicati sint; sed etiam haereticos (quoad crimina ab Haeresi distincta, & non excepta) & infideles, Paganos, ac Judaeos, modo (serio converti velint, ut requirunt Jura Civilia) qualiacunque crimina commiserint, modo non commiserint crimina de jure vel consuetudine excepta, cum jura hanc immunitatem concedentia, universaliter, absolute, & indeterminatè, sine ulla personarum exceptione loquantur, uti patet ex hoc cap. & ex cap. *Reum. cap. si quis contumax. cap. definitur &c. caus. 17. q. 4.* & immunitas haec non Ecclesijs propter personas, sed personis propter Ecclesias concessa sit.

Dubitari tamen adhuc potest primò. Utrum hac etiam immunitate gaudeat reus in causa civili, qui reus debendi dicitur, sive debitor, si ad Ecclesiam debitis gravatus v. g. contra suos creditores contigerit. Quòd hic talis, si ob crimen aliquod commissum, quod non est exceptum, ad Ecclesiam confugiat, inde extrahi non potest ad poenam corporalem violenter, satis certum est, etiam si per accidens creditores propterea in debiti sui solutione patiantur; neque enim inter crimina excepta habetur quodlibet crimen illius, qui debitis gravatus est. Utrum autem hac immunitate gaudeat, si precise propter debita civilia

v.g. ad Ecclesiam confugiat, non conveniunt Auctores: probabilius tamen illi loquuntur, qui gaudere hunc talem immunitatis asylo asserunt, prout communiter docent Auctores, & clarè sumitur ex L. 1. & ult. Cod. de his, qui ad Eccl. confugiunt: quamvis enim reis hoc immunitatis asyllum concedatur, reorum autem nomine in rigore putent aliqui eos venire tantum, qui criminaliter in iudicium vocantur; rectius tamen alij in hac materia Ecclesiae favorabili, tam strictam interpretationem admittendam non putant; praesertim cum in iure omnes illi reorum nomine veniant, qui coram iudice conveniuntur. Videatur Theol. Moral. l. c. n. s.

¶ Dubitari potest secundò. Quinam casus excepti habeantur, ita ut hoc immunitatis asylo non gaudeant, qui illorum criminum rei sunt, quamvis ad Ecclesiam confugerint? Respond. de iure quidem antiquo varia crimina recenseri, ob quae, qui talia commiserunt, quamvis ad Ecclesiam confugerent, hac asyli immunitate non gaudeant. Sic primò certum est ex cap. ult. hoc tit. quòd hac immunitate non gaudeant, qui crimina gravia in ipsa Ecclesia commiserunt, cum in Ecclesia, ut ait *textus*, delinquens, frustra illius auxilium imploret, & in eo puniri quis debeat, in quo deliquit; sive deinde, ut iuris interpretes explicant, spe immunitatis in Ecclesia peccaverit, sive nulla haberi debeat talis praesumptio; sive in Ecclesia existens, telo aut globo, extra Ecclesiam existentem occiderit, aut mutilaverit (quod in cap. ult. expressum crimen est, immunitate non gaudens) sive ipse extra Ecclesiam existens, globo vel telo intra Ecclesiam existentem occiderit, aut mutilaverit. Et quamvis probabilis sententia putet, ob alia crimina, etiamsi quis in Ecclesia commiserit, modò non commiserit homicidia, vel mutilationes (mutilationem scilicet membrorum, non autem meram vulnerationem, aut partium, quae non veniunt nomine membri, ut Theologi Mo-

rales explicant) quòd hic talis immunitate gaudeat, cum inter crimina excepta, homicidium quidem in Ecclesia commissum, aut membrorum mutilationem numeretur cap. ult. hoc tit. non tamen alia crimina: rectius tamen alij dicunt, ob rationem legis, etiam alia gravia crimina in Ecclesia commissa excepta haberi, ut committens ea in Ecclesia, Ecclesiae asylo non gaudeat, quamvis ad aliam Ecclesiam, in qua non peccavit, confugerit; cum indignum sit, cum Ecclesiae favore defendi, qui in Ecclesiam tam graviter deliquit, & quae posita sunt in cap. ult. hoc tit. crimina tantum posita sint exempli gratia. Illud tamen non negaverim tanquam probabilius, gaudere hac immunitate eos, qui propè Ecclesiam existentes, spe immunitatis statim obtinenda, homicidia aut alia gravia delicta commiserunt, postmodum ad Ecclesiam confugerint, cum neque verba legis, neque ratio Capituli ult. hoc tit. ea excipiant.

Sic certum est secundò: excipi in hoc cap. inter alia, quòd minùs asyli gratia gaudeant, publicos latrones, qui suis insidijs vias publicas obsident ad occidendos homines, nocturnos agrorum depopulatores, *Strasze und Land-Rauber*: & ex cap. 1. de homicidio qui per industriam sive ex proposito ac per insidias occidit aliquem, & juxta cap. 1. de homicidio in sexto. qui per *Assasinum* (quorum ex Syria oriundorum ea erat professio, ut ad Regis sui mandatum occiderent quemlibet) alium occidi jubebat, etsi effectus secutus non fuisset; ac juxta jura civilia, non proderat immunitatis privilegium hoc, Homicidis, Adulteris, Virginum Raptoribus &c. sicuti nec prodest juxta consuetudinem furibus ad Ecclesiam confugientibus, ob nimiam saepius criminis hujus frequentiam: & juxta aliquos non prodest illis, qui rei jam capti ex custodia carceris, vel manibus ministro- rum sese extrahentes ad Ecclesiam confugiunt, quamvis sub juramento promiserint in ar- restu manere &c. Quia tamen hac pleraque apud Auctores dubia sunt,

sunt, & vi præsumptorum privilegiorum aut consuetudinis introductæ multum & sæpius immunitas alyli à Laico magistratu lædebat, statuit Gregorius XIV. in sua Bulla. Cùm aliàs ob varias inconvenientias circa hanc immunitatis materiam, ut omnibus privilegijs & consuetudine abrogatis ad certam formam in posterum servandam, hæc immunitatis materia reduceretur, ita ut Laicis ad omnia crimina hoc immunitatis privilegium, in locis recensitis, utile esse possit, nisi fuerint publici latrones; viarum grassatores, qui itinera frequentata, aut publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur; aut depopulatores agrorum; quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumve cæmeterijs committere non verentur; aut qui proditoriè proximum suum occiderint; vel assassini, aut hæresis, aut læsæ majestatis in ipsius principis personam, rei sunt (cùm hæc crimina vel maxime ceñseantur bono publico rei publicæ alicujus adversari) ita ut hoc sacri alyli privilegio non gaudeant contra suos iudices sæculares, servata tamen rigorosa verborum, & criminum admissorum proprietate; neque liceat ex sola identitate extensionem ad casus non expressos, aut qui non veniunt sub verborum proprietate rigorosa, facere, ob odiorum restringendum regulam, ac certam formam observandam, quam statuit Pontifex, & consequenter multa utilissima corollaria ex relatis Bullæ verbis deduci à quolibet immunitatis Ecclesiasticæ amante poterunt. Videantur Auctores, qui fusè hanc immunitatis materiam tractant, ubi etiam videri potest, quòd Bulla Gregorij XIV. non ubique ex integro recepta sit, & per privilegia post illam Bullam obtenta, aut introductam postmodum consuetudinem, limitationem multam patiatur.

Dubitari potest tertio. Utrùm etiam Clerici contra suum magistratum Ecclesiasticum hoc immunitatis alylo gaudeant, si post delictum non exceptum commissum, ad Ecclesiam confugiant, ut ab ea ad pæ-

nam Canonicam extrahi non possint inveni? Afferunt aliqui, saltem si ad Ecclesias, quarum membra non sunt, & casus exceptos non commiserint, fugiant: rectius tamen negant alij, asserentes, consuetudinem huic etiam negativæ sententiæ assilire, prout videre est in Theologia Morali, c. n. n. tum quòd iudex Ecclesiasticus majorem auctoritatem habeat in Ecclesia, ex qua re extrahitur; tum quia in iudicio Ecclesiastico non ita severè agitur ad penam corporalem, & publicam vindictam, sicut in sæculari; tum quòd Bulla etiam Gregorij XIV. ubi ad certam formam hæc immunitatis hujus materia reducit, tantum Laicorum ad Ecclesias confugientium meminit; tum quòd denique ex contrariis sententiis, multa inconvenientia sequuntur. Illud tamen libenter concessero, extrahi Clericum invitum ex Ecclesia, ad quam ob commissum delictum non exceptum confugerat, à suo Magistratu Ecclesiastico non posse, ut detur iudici sæculari puniendus, quamvis crimen commissum, propter quòd iudici sæculari puniendus tradi posset, nisi crimen hoc fuerit ex exceptis cùm tali modo non tantum contra Gregorij XIV. Bullam, sed etiam contra naturam immunitatis delinqueretur.

Notandum quartò. Nullum quidem certum modum præscribi à jure antiquo, qui servari debeat in extrahendo reo ab Ecclesia, ad quam confugerat, si crimen aliquod exceptum commiserit: præscribit tamen talem in Bulla relata Gregorius XIV. qui servari debet, ubi Bulla illa etiam quoad posteriorem hanc partem recepta est, de qua utrùm in nostris partibus recepta sit, litigant Auctores. Certum tamen est primò, quòd reus, si volens à leco sacro discedat, & exeat, capi possit postmodum à Laico Magistratu, & pæna (corporalis) affici, absque læsione immunitatis Ecclesiasticæ, cùm jura tantum dicant, violentè non esse extrahendum, ut advertunt Auctores. Secundò certum est, quòd capi non possit à iudice sæculari, qui taliter ad

Ecclesiam confugit, si dolose & fraudulenter ab Ecclesia, seu loco asyli fuit extractus, cum fraus illa & dolosa extractio non tantum violentæ æquiparetur, & dici non possit, quod volens exiverit, qui dolo extractus fuit. Tertio tamẽ certum etiam videtur, quod possit aliquando reus, si causa justa subit, ab Ecclesiastico Magistratu tradi sæculari judici, aut si servus sit, domino suo, exacto tamen prius juramento aut simili cautione immunitatis à pœna mortis, & omni corporali, prout colligitur ex hoc *cap. & ex cap. id constitutumus* & *cap. reum caus. 17. q. 4.* ac in *Theolog. Moral. l. c. n. 13.* jam notatum Imò probabile est, quod in criminibus exceptis, etiam iudex sæcularis, sine consensu & licentia Ordinarij, aut rectoris Ecclesiæ requisita, eos, qui ad Ecclesias confugerunt, extrahere de jure antiquo possit absque violatione immunitatis Ecclesiasticæ, cum hanc licentiam ipsa jura concedant, uti colligitur ex *cap. final. h. t. Covarr. & Julius Clarus*, asserentes communem hanc esse sententiam, & in praxi observari; post Bullam tamen Gregorij XIV. ubi certa forma hujus immunitatis observandæ, & reorum in criminibus exceptis extrahendorum præscribitur, non amplius hoc licere (saltem in illis partibus, ubi Bulla hæc etiam quoad posteriorem partem recepta est) cum Pontifex statuatur, ut ne delinquens Laicus, in casibus exceptis, à curia sæculari, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & interveniente persona Ecclesiastica, ab eo auctoritatem habente, capiatur, extrahatur, aut incarceretur (nisi in delictis expressis dictæ personæ requisitæ intervenire nolint) ita ut non tantum ipsa extractio aliter facta juridicè nulla sit, sed omnes actus etiam consequentes, à Laico iudice facti; cum nulla sit hujus in taliter extractum jurisdictio: quæ omnia, uti plura alia, quæ in bonum hujus asyli requirit ibi Pontifex, utrum in nostris partibus recepta sint, viderint illi, quorum interest. Illud tamen certum est, quod in dubio, utrum ille, qui confugit ad Ecclesiam,

crimen exceptum commiserit, diducare, & hoc decidere ad Episcopum pertinet.

Notandum quintum, Quamvis pœna¹² civiles contra violantes hanc immunitatem, *Legè præsentis cod. de his, qui ad Ecclesias &c.* hodie fortassis non amplius in usu sint, & obtineant tantum positivæ Canonice pœnæ, non tantum quatenus obligatur, qui violentè extraxit, ad taliter extractum restituendum Ecclesiæ (non quidem eidem, ex qua extractus est, sed saltem alij loco pio, aut Ecclesiæ, ubi æquè tutus est) cum injuria Ecclesiæ facta aliter reparari non possit; sed quod alias etiam pœnæ à sacris Canonibus, in tales sacrilegos, & injustos violatores latus incurrant, conformiter Decreto *Trident. Sess. 25. cap. 20. de reform.* & constitutioni *Gregor. XIV.* ubi omnes pœnæ & censuræ in tales violatores olim per SS. Canones, Concilia, aut Pontifices latæ, renovantur, ita ut ab his incurratur non tantum pœna excommunicationis ipso facto, prout expressè statuit *Gregor. XIV.* sed antiquorum etiam Canonum pœnæ *cap. quisquis caus. 17. q. 4.* ubi statuatur, ut tales violatores in pœnam commissi sacrilegij, Ecclesiæ, cui injuria fecerunt, 30. libras argenti purissimi solvant &c. Et quamvis pœna excommunicationis rectè ab Abb. statuatur etiam in eos, qui talem extractionem alteri suaserunt, mandaverunt, aut physicè ad eam cooperati fuerint, ob verba Bullæ generalia: probabile tamen est, pœnam hanc non incurri ab illis, qui minis tantum gravibus, & verbis injuriosis reum induxerunt, ut ex Ecclesia egredere- tur, & postmodum eum extra Ecclesiam constitutum ceperunt; cum talis extractio nec violenta fuerit, nec injuriosa Ecclesiæ, prout apud, & cum *Bonacina* sentiunt *Abbas, Sylvester, Peregrinus, & alij.* Notandum denique sextò, effectus immunitatis hujus, sive commoda & privilegia eorum, qui ad asylum hoc sacrum fugerunt, plura esse. Primò, quod inviti extrahi non possint à Laico Magistratu (saltem si crimina excepta non commiserint, vel non sint servi propriè dicti,

Adversus.

PARAPHRASIS.

Quod statutum fuerat in Concilio Laterano, & relatum *cap. non minus 4. h. 1.* contra eos sæculares, qui Ecclesias & Ecclesiasticas personas, ac earum bona omni genere exactionum, & collectarum gravant, hic renovat Innocentius III. in Conc. Generali; prohibens hæc iterum sub pena excommunicationis, annullando tales secularium sententias & statuta, immunitati Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum quoad tales collectas præjudicantia: insuper decernens anathematis sententiam durare, non tantum dum in officio existunt, qui tales collectas extorsissent, sed tam ipsos, etiam postquam officio cesserunt, & restituere nolunt, ac hæredes eorum, illâ Ecclesiasticâ censurâ manere constructos, donec satisfecerint. In casu tamen, quo Episcopus cum Clero absque ulla conditione, ad relevandas publicas necessitates & utilitates, subsidia Clericorum paraverint necessaria, poterunt quidem Laici humiliter ac devotè ea recipere, ad cavendam tamen multam, quæ sapienter intervenire possit, imprudentiam, voluit prius consuli Romanum Pontificem.

SUMMARIUM.

1. *Confirmantur & extenduntur in hoc cap. alia jura immunitatis realem Clericorum concernentia.*
2. *Bona Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum in triplici sunt differentia.*
3. *Sicuti etiam onera, de quorum immunitate Clericis, & Ecclesijs competente contra Laicum magistratum disputatur.*
4. *Quid de oneribus morè realibus, qua*

dicti, seu mancipia, à domino aufugientes) prout expressè cavetur *in h. cap.* ubi dicitur, tales non esse violenter extrahendos: ita ut injustè extrahens sacrilegium committat *cap. sacrilegium caus. 17. q. 4.* & personæ Ecclesiasticæ ad vim vi reprimendam resistere possint; non quidem armis & gladijs defendendo immunitatem, quod non decet Clericos, sed fores claudendo, invocando brachium, & auxilium sæculare, per censuras ab Ordinario infligendas, ad desistendum à violentiâ, aut restituendum extractum urgendo &c. vel S. Augustini decisionem sequendo, qui de tali injustè extracto ad Bonifacium scripsit: *illatum Ecclesia revoca, què vel irreligiosissimus rapuisti: oblatio verò domus tua à Clericis ne suscipiatur, ind. xi. communionè tibi interdico, donec &c.* Extrahens verò ad omne damnum, quod ex tali injusta extractione extracto evenit, ex justitia reparandum obligatur. Secundò capi non potest, incarcerari, aut vinculis constringi in loco sacro *cap. definitio caus. 17. q. 4. & l. presentis cod. de his, qui ad Ecclesias &c.* Neque damnari potest, dum intra Ecclesiam existit, ad mortem, aut aliam gravem corporalem pœnam (de jure saltem, quidquid sit de praxi, de qua Farinacius in sua praxi criminali) quamvis pecuniariâ pœnâ affici possit, ut advertit *Abbas & ex h. cap.* colligit, ubi dicitur: *super hoc tamè, quod iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus.* Tertio prohiberi non potest, quo minus ad eum necessaria naturæ circa victum & vestitum deferantur *cit. lege presentis*: neque rebus suis, quas secum ad immunitatis locum derulit, privari potest, nisi res illæ sint criminis occasio, aut prohibita ipsi, prout iterum colligunt AA. ex *cit. cap. definitio caus. & q. cit.* Videatur etiam *Theolog. Moral. l. 6. n. 15.*

**

dominus proprietatis suo fundo imposuit, sentiendum?

8. Quid de antiquis tributis, & oneribus, quae stabiliter & perpetuo ex lege ordinaria fundis imposita sunt, in principis sustentationem, priusquam ad Ecclesiam talia bona devenerunt, sentiendum?
6. De quibus tributis & oneribus intelligi debeant SS. Canones, qui secularibus dominis tributa ab Ecclesijs, aut Ecclesiasticis soluta dicuntur?
7. De mixtis oneribus quid sentiendum, circa bona, saltem quae ab Ecclesiasticis titulo Ecclesiastico possidentur?
8. Argumenta quaedam contraria sententiae, quae concedit bonis etiam titulo Ecclesiastico possessis ab Ecclesiasticis, onera haec extraordinaria a seculari magistratu imponi posse, nihil attendendo cautelas juris communis; ex titulo supremi dominij, ex plenitudine potestatis; ex eo, quod omnium subditorum bona, antequam ad Ecclesiasticos pervenerunt, tributaria sibi pro occasione necessitatum publicarum fecerit princeps v. g. desumpta referantur.
9. Ostenditur neque juri natura contrarium esse hanc immunitatem.
10. Neque dici posse, quod multarum secularium curiarum consuetudo contra immunitatem hanc probet aliquid.
11. Etiam Ecclesia & Ecclesiasticorum praedia nonnunquam obligantur, ad praestationes quasdam vehiculares.
12. Et ad vectigalia, pedagia, guidagia &c. solvenda ab itinerantibus &c.
13. Absque eo tamen, ut vis aliqua coactiva in Ecclesiasticos, ad haec extorquenda Laico Principi competat.

Notandum primò. Multa circa hanc juris decisionem colligi posse, non tantum ex illis, quae supra in cap. non minus 4. h. r. dicta sunt, cum hoc cap. tantum illius videatur confirmatio, adversus Consules, Rectores Civitatum, & qui Magistratum

Laicum constituunt, ac statuta talia gravantia contra immunes à sua jurisdictione nulliter faciunt, clarè extensa; sed etiam ex cap. Ecclesia S. Mariae. cap. quae in Ecclesiarum de constitution. cap. finali de rebus Eccl. non alienand. cap. bene quidem & multis similibus dist. 96. (ubi statutis Laicorum Clericos non ligari innuitur) & ex Lege cunctos populos cod. de Summa Trinitate: ubi dicitur, si quid motu proprio à Laicis statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat favorem (multò magis si in praerudicium Ecclesiae cedat) nullius esse firmitatis, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Extenditur autem hoc exemptionis privilegium Clericis competens, & eximios eos à jurisdictione Laicorum faciens, ad omnes Clericos, etiam in Minoribus constitutos, si ea observent, quae à Trident. requiruntur ad privilegium fori, de quibus conditionibus L. 2. Decretalium Titul. 2. de foro competente agitur. Ad quae tamen bona Ecclesiarum personarum haec realis immunitas, de qua hic Pontifex loquitur, se extendat, dubitant aliqui, qui Clericorum immunitatem extinctam, aut certè restrictam vellent. Ad clariorem proinde immunitatis hujus notitiam

Notandum secundò. Triplicis generis bona esse, de quibus quæri potest. Primi generis sunt illa, quae peculiari aliqua consecratione, aut benedictione speciali modo Deo consecrata sunt, qualia sunt ipsae Ecclesiae, cameteria, vasa & instrumenta sacra ad Divini cultus ministerium designata, ornamenta & paramenta Ecclesiarum &c. Et haec ab omni onere civilium exactionum immunita esse facile conceditur, cum ad nullum usum profanum adhiberi possint, & res sacrae sint, ac nullo modo frugiferae &c. Secundi generis sunt ea bona Ecclesiastica, quae nihil specialis consecrationis v. g. habent, à fidelibus tamen Deo & Ecclesiae oblata sunt, ad ipsius Ecclesiae necessitatem, consecrationem, ad ministrorum Ecclesiae sustentationem, aut alios pios usus expendenda, qualia sunt praedia, fundi, horti,

horti, domus &c. ad Ecclesias pertinentia, uti & similia tam mobilia quam immobilia bona Ecclesiarum, Tertij denique generis bona sunt bona ipsa Clericorum & personarum Ecclesiasticarum: & quidem alia temporalia tantum titulo; alia spirituali obtenta, ut ex titulo de peculio Clericorum jam patet. De his secundi & tertij generis bonis queritur, an immunia illa sint ab oneribus, quæ Laici præstare solent.

3 Notandum tertio. Onera hæc etiam in triplici esse differentia. Alia dicuntur merè realia, quæ ipsis rebus, seu bonis independentè à personis, perpetuè & inseparabiliter adhærent, ex pacto v. g. aliquo, vel ex contractu feudali vel emphyteutico &c. vel per modum stabilis pensionis in gratiam alterius solvendæ &c. ab ipso domino proprietatis, aut cum hujus consensu, fundo v. g. alicui suo imposita. Alia sunt onera merè personalia, personis ipsis immediatè imposita, & ab his præstanda, independentè à bonis in territorio sitis; qualia sunt non tantum civilia tutorum, curatorum munera, sed etiam capitaciones sive illæ exactiones, quæ in quamlibet personam jurisdictioni Principis subiectam, aut in tali patria lucrum ex officio suo, famulatio, aut alijs civilibus functionibus facientem, imponuntur. Alia denique dicuntur onera mixta, quæ ex titulo jurisdictionis personis subditis imponuntur cum respectu ad bona, quæ possident, sive juxta bonorum, quæ possident, facultates, ita ut immediatè ipsas personas, in quas jurisdictionis exerceri potest, mediatè verò bona illorum afficiant; qualia onera sunt tributaria exactiones, sturæ, vectigalia, contributiones &c. & alia hujuscemodi horrida nomina.

4 Notandum quartò. Facile concedi, quòd onera merè realia, quæ à domino proprietatis suo fundo, in feudum v. g. vel emphyteusim Ecclesiæ concessio, imposita fuerunt, vel quæ fundo suo imposuit liberaliter Dominus proprietatis, aut cum consensu hujus imposita fuerunt, in gratiam Principis v. g. secularis solvenda, & cum onere in Eccle-

siam translata fuerunt, ab Ecclesia etiam seculari Principi solvi debeant, non tantum, quia res cum onere suo (merè reali) in quemcumque transit cap. 5. de pign. & cap. 28. 33. de decimis, sed quia per talem transactionem nec justitia colitur, nec liberalitas domini proprietatis evincitur, qui sicuti fundo suo pro suo placito imponere potest onus, ita in Ecclesiam rem suam transferre potest, sub quibuscumque conditionibus (modò hæc non sint contra bonos mores, sicuti non est hæc obligatio ad certum aliquid ab Ecclesia præstandum Principi Laico) quæ si ab Ecclesia acceptentur, prout tale onus merè reale ab Ecclesia acceptari posse videtur argum. cap. 32. de juri Patronat. & cap. 17. de censibus &c. servari debent, & tales pensiones (sive quocumque modo nomines) Principi deinde solvi, non titulo jurisdictionis, quod subjectionem saperet, sed ex pacto, aut ex contractu &c. Et ex hoc capite videtur communiter dici, quòd antiqua tributa, sive ea onera, quæ antequam talia bona ad Ecclesiam pervenerunt, jam illis affixa fuerunt, stabiliter & perpetuè in necessariam v. g. Principis sustentationem solvenda (sive deinde ab ipso domino proprietatis liberaliter fundo suo in gratiam Principis onera hæc imposita sint; sive imposita sint primò ex lege universali & ordinaria jurisdictionis, quæ omnia subditorum bona in necessariam v. g. Principis sustentationem onerata stabiliter, & perpetuè fuerunt) ab Ecclesia etiam & Ecclesiasticis solvenda sint, si bona taliter onerata ad Ecclesiam pervenerint; cum nec præsumi possit de illis, qui hæc talia in Ecclesiam transtulerunt, quòd cum tali boni communi, præjudicio & tanta mediocritate ad bonum commune conservandum, ex prima Principis constitutione necessariorum, diminutione, transferre voluerint bona sua in Ecclesiam; neque cogitari possit, quòd Ecclesia non tantum cultrix justitiæ, sed in omnes liberalissima & gratissima talia onera justissimè imposita, detrectare voluerit, quæ Patronis suis Ecclesias fundantibus

bus, dotantibus, aut ædificantibus ultrò etiam concedit, ut moderatas aliquas pensiones ab Ecclesijs v.g. fundatis solvendas sibi reservare possint *cap. præterea 23. de jure Patron. & ut condiciones in fundatione talium Ecclesiarum possint apponere, ad quas obligetur Ecclesia (cum consensu Episcopi) arg. cap. verum 4. de condit. junctâ Glossa ac Barbosa in cap. primum de Cens. n. 4.*

Sicuti autem de his oneribus merè realibus, aut ab antiquo stabiliter & perpetuò impostis, intelligendi videntur illi SS. Canones, qui tributum ab Ecclesijs solvi assentunt Imperatoribus, aut alijs Laicis Principibus (ita tamen, ut fateri etiam debeamus aliquos Canones de eo loqui, quod factum est, non autem de eo, quod jure fieri potest, prout plures Canones intelligi possunt, qui tributa soluta assentunt ab Ecclesijs Principibus Gentilibus, vel alijs Ecclesiæ intestis Imperatoribus) ita alia SS. Canonum Capit. quæ videntur universaliter bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum ab omnibus oneribus tributorum, steurarum, & exactio num &c. asserere immunita, ad hæc merè realia, vel ab antiquo stabiliter, & perpetuò imposta, non videntur extendenda, cùm de extraordinarijs tantùm, & novis oneribus loqui videantur, uti clarè patet ex *cap. 4. & 7. b. r. & ex cap. 3. eodem in 6.* & quæ solvenda sunt ab Ecclesijs nõ ex pacto, quo (sub hoc onere licito & concessio delata sibi bona acceperunt, sed ex titulo jurisdictionis alicujus quasi Principi vel Magistratui sæculari in Clericorum bona (saltem quæ titulo Ecclesiastico possidentur) aliqua in aliquo casu jurisdictione competat, quam non tantùm SS. Canones simpliciter negant illis, quos obsequendi manet necessitas, non autem imperandi auctoritas, ut ait Pontifex in *cap. 10. de constitut. & cap. 12. de rebus Eccl. non alien. &c.* sed jus etiam divinum sæcularibus admittit, ut testatur Pontifex in *cap. quamquam 4. de censibus in 6. & Trid. Sess. 21. cap. 20. de reform. ac Canonistarum & Theologorum sententia apud*

Bonacinam tom. 3. disp. 1. q. 16. pnn. 2. n. 5. & Thomam Del bene de immunitate cap. 1. dub. 2. sect. 1. & plures pro hac sententia Auctores, Juris & SS. Scripturæ rationes afferentem.

Notandum quintò. Difficilem esse questionem ad onera mixta, num obligentur bona Ecclesiarum & Ecclesiasticorum (saltem quæ titulo Ecclesiastico à beneficiatis Clericis, aut Religiosis possidentur) vel quod idem est, an præter antiqua & ordinaria onera (de quibus modò dictum, & quæ à Jure nonnunquam Canonica & Patrimonialia dicuntur) ad omnia nova & extraordinaria onera (quæ à Jure nonnunquam etiam superducta, vel superindicta vocantur) prædijs & fundis sui territorij à Principe titulo jurisdictionis imponi sæpius solita, etiam Ecclesiastici ac bona Ecclesiasticorum obligentur. Qua in re certissima sententia videtur (ut omitatur longior in utramque partem, & fortassis inutilis discussio, cùm nemo facile contrariæ sententiæ AA. ab opinione sua, sive errore dimoveat) vel nullam esse immunitatem realem Ecclesiasticam, vel certè ab his novis & extraordinarijs exactio nibus, quæ Laicis rectè nonnunquam imponi possunt, immunita esse bona Ecclesiastica: si enim Ecclesiæ & Ecclesiastici ex bonis suis Ecclesiasticis ad onera merè realia, & ab antiquo de lege ordinaria imposita, sæcularibus Principibus solvenda, obligantur, ut priore notando concessum, consequenter ab his oneribus non habeant immunitatem, ergo quo ad hæc onera immunitas realis locum non habet: si autem dicas, reali tantùm immunitate gaudere eorum bona, si sine necessitate hæc onera imponuntur, nihil speciale habent præ Laicis (& consequenter nulla iterum erit immunitas realis) cùm neque Laicis imponi possint nova onera, & novæ exactio nes extra casum justæ necessitatis, prout communis & certa sententia docet: si verò dicas, reali hac immunitate gaudere Clericorum bona, casu quo justa quidem causa sit exigendi à Laicis collectam, quæ tamen causa

Zzz

nihil

nihil ad Ecclesias specialiter, & directè at-
tinet, ad natū v. g. novi Principis solemnita-
tatem, ad dotem filia Principis constituendā,
in litrum pro redimendis urbibus,
officialibus ab hoste captis &c. aut gaudere,
casu quo onera talia imposita sunt ad com-
munem quidem necessitatem sublevandam,
cui tamen solæ Laicorum facultates sine
magno eorum damno sufficiunt; vera qui-
dem asseris, & sine dubio observanda,
cum non tantum SS. Canones, & Bulla
Cœnæ, ac recentiora Jura etiam Civilia,
hanc saltem immunitatem bonis Ecclesiasti-
cis tribuant *authentica item nulla commu-
nitas cod. de Epif. & Clericis* (quidquid
antiquiora aliqua Jura contradicant, ex hoc
etiam solo capite nulla, quod de rebus Eccle-
siasticis specificè statuunt) praxis tamen
communissima (saltem in nostris partibus)
contraria est, cum ad omnia hæc etiam ex-
traordinaria onera, si rationalis causa vi-
deatur, ea imponendi, non secus Clerico-
rum, ac Laicorum bona concurrere debe-
ant; & prius nonnunquam Clericorum bona,
quam Laicorum excutiantur, ita ut non-
nunquam magis Laicis favor & gratia Prin-
cipis profit, quam Clericis à Jure Divino or-
dinata, utriusque juris sanctionibus stabi-
lita, sub pœnis Canonicis etiam & Civilibus
immunitas. Quidquid tamen sit de hac ra-
tione, communissimo argumento, nun-
quam tamen soluto, probari potest, quod
Ecclesiæ & Ecclesiasticorum bona ab his no-
vis & extraordinarijs exactionibus, quæ à
secularibus Principibus ex causa justæ ra-
tionabilis, publicæ, ac communis, imò
etiam gravis necessitatis, cui sublevandæ
Laicorum opes non sufficiunt (ut omnia
conjugam quæ ex parte causæ finalis, aut
motivæ ad onera hæc imponenda concurre-
re possunt) sint immunia: si nullam habeat
jurisdictionem in bona talia Ecclesiastico-
rum Laicus Princeps, vel Magistratus sæcu-
laris, nulla etiam illis onera imponere po-
test; atqui nullam habet jurisdictionem in
bona talia Laicus Princeps, aut Magistra-
tus, ergo &c. Major certissima videtur, cum

enim hæc onerum extraordinariorum im-
positio sit actus jurisdictionis, consequenter
illis bonis hæc onera à seculari Magistro
imponi non possunt, quæ illius jurisdictioni
non subsunt; sicuti nemo dixerit, quod
bonis & fundis extra suum territorium, &
jurisdictionis terminos existentibus, onera
taliam imponere possit. Minorem, quæritur
certissima est, non tantum probat immu-
nitas realis, quam nemo negare potest, &
probat certissima utriusque juris tenent,
ac axiomata, quibus dicitur, sacra Deo
nullis profanis usibus applicanda; bona
velut accessoria sequi conditionem perso-
næ, saltem quoad exemptionem; mutata
qualitate personæ, mutari etiam qualita-
tem bonorum accessorie connexionem, &
ac plures etiam rationes ex natura bonorum
Laicalium & Ecclesiasticorum, & ex utro-
que jurisdictionis differentia, ac pluri-
mis denique absurdis desumptæ, quæ cer-
tissimè apud relatores videri possunt.

Ad hoc tamen argumentum dissolven-
dum sunt aliqui, qui non tantum jurisdictionis,
quam titulo supremi dominij, quod in omnia sui territorij bona habet
Princeps v. g. vel ex plenitudine potestatis
hæc onera imponere Principem posse con-
tendant; vel quod Princeps per statum
aliquod, antequam hæc bona ad Ecclesiam
perveniant, omnia territorij sui bona libe-
raria fecerit, & ad tributa quæ libe-
raria præstanda obligaverit, ut cum hoc onere
Ecclesiam transiverint. Alij verò contendunt
hoc Principem v. g. Laicum posse, eo quod
putent, dominos cum hac obligatione
sua bona in Ecclesiam transfuisse, ut ad
omnia onera à Principe justè imponenda
sint obligata. Verum plerisque hos falsis
fundamentis, periculosos, & quæ neque
sui semper Authores sequi voluerunt, &
niti apud relatores AA. videri potest. Ceterum
titulus supremi dominij nihil juris tribuit
Principi in bona illorum, quæ quantum
existant in illius territorio, non sunt
de illius territorio, sive non subsunt
illius jurisdictioni, eo quod non pertinet

ad personas illius jurisdictioni subiectas, qualia sunt bona Ecclesiæ & Ecclesiastico titulo Clericali possessa, cum potestas illa, quæ Principi in talibus quibusdam in bona sui territorij competit, fundetur in titulo jurisdictionis & non conveniat alij, quam habenti jurisdictionem, respectu eorum, in quos habet jurisdictionem, quam etiam supponit plenitudo potestatis, quæ utique ad eos extendi non potest, in quas nulla potestas Principi competit. Et quamvis fortassis hoc supremum dominium, quod nunquam Princeps à se abdicare censeatur, probaret aliquod respectu eorum, qui ex gratia Principis speciali exempti sunt, & privilegiati, nihil tamen probat respectu eorum, qui à Superiore potestate suam exemptionem & privilegia habent. Dicere verò, quòd bona Ecclesiæ ad omnia onera à Laico Principe imponenda obligentur, eò quòd hæc bona priusquam ad Ecclesiam pervenerunt, tributaria sibi per statutum fecerit Princeps, cautela quidem Bartoli est in *Legem Rescripto §. finali ff. de miseribus*, quæ tamen ab omnibus reprobatur, ut ait Baldus apud Azor & ut ait Jason apud Delbene, quæ ab omnibus pro falsa & damnata habetur, ita ut ex validissimis Juristarum rationibus probari possit, ut ait apud hunc ipsum *Cardinalis Albanus*, grave piaculum committere eam, qui contrarium docet: imò nec ipse etiam Bartolus hanc suam opinionem in Consilio posterius dato sequi voluit, ut testatur Azor; & rectè quidem, non tantum, quòd statutum tale, ut aliunde iustitia statuti talis non impugnetur) reddens omnia prædia, & bona taliter tributaria in præjudicium etiam Ecclesiæ sit, indirectè saltem contra libertatem Ecclesiasticam (quæ statuta ab utroque Jure reprobantur, *authent. cassa cod. de SS. Eccles. cap. 10 de constit. Eccl. cap. 49. §. 1. de sent. ex. om. & pluribus hujus tituli juribus, ac demum in casu 14. Bullæ Cære*) sed quia talia statuta necessariò annexam clausulam habent, quamdiu maent sub jurisdictione illius, qui jus statuendi taliter hic & nunc

habet: certè si per Superioris auctoritatem, qui in hunc ipsam, qui statutum tale fecit, jurisdictionem & potestatem habet, bona talia, quæ tali statuto inferior hic Princeps tributaria fecit, à jurisdictione hujus exemptentur, nemo diceret, quòd ea adhuc Principi huic tributaria sint, & ad tributa, ac onera extraordinaria obligentur; cur ergo dicatur de Ecclesiæ prædijs Jure Divino, vel saltem Pontificio, cui utique omnes Catholici Principes subesse debent, exemptis? Et quamvis dominus proprietas fundo suo onus reale, certam v. g. pensionem in Principis gratiam singulis anni solvendam imponere possit, quòd onus in ipsa Ecclesiam transeat, ut supra concessum hinc tamen obligationem, ut ad quacunque onera & tributa suo tempore titulo jurisdictionis à Principe imponenda, obligatus sit fundus talis, quem in Ecclesiam transtulit, quòd imponere possit, prebari non potest, cum talis obligatio videatur repugnare Juri Divino, vel saltè Juri Canonico pro bono publico immunitatem statuenti, cui privata persona, quæ immunitati pro bono communi introductæ renuntiare non potest, parere debet.

Neque dicas, Jus naturæ dictare, ut ad communes necessitates subeundas pariter omnes concurrant; cum enim omnes pariter fruantur communibus bonis, omnes etiam sentire debent communia onera: quòd vel maximè dicendum est in casu, quo publicæ & communes necessitates tam Clericos quam Laicos, æquè principaliter affligunt, uti fit in casu hostis publici avertendi, & patriæ contra eum defendendæ, qui non minùs Ecclesiastica, quam laica bona exurit, & devastat &c. & in casu, quo publicis necessitatibus sublevandis, Laicorum facultates non sufficiunt: certè ipse Summus Pontifex in *cap. 2. h. t.* nullum (de hominibus Ecclesiæ, ut ait Glossa) vult in casu necessitatis à vigilijs & murorum custodia esse immunem. Respondetur enim, si de communibus necessitatibus sublevandis loquaris, quas nonnunquam alij patiuntur privati, ad aggeres v. g. ducendos ob agros

v. g. aut fundos vicinos flumini, aut viarum ante aedes cujuslibet purgandarum & conservandarum necessitate &c. ad puteum v. g. communem in vicinia conservandum &c. libenter concedo, quod in casu tali, in quo non minus Ecclesia & Ecclesiastici ipsi damnum patiuntur, aut commodum sentiunt, contribuere debeant tam Ecclesiastici, quam Laici, cum contributio talis non tam publica jurisdictionis auctoritate, quam ex privato pacto, aut tacita conventionione ad communia & privata mala avertenda, fiat, & ad hoc sine dubio jus etiam naturæ obligat, quod solum etiam probatur ex *cap. 2. relato*. Si verò de communibus quidem, publicis tamen necessitatibus sermo sit, docuerunt quidem aliqui distinguendo, ita ut concedant, jus naturæ dictare, quod omnes (præsertim illi, quos æquè principaliter ea tangunt) ad eas sublevandas concurrere debeant, si non sint privilegiati; negant tamen, si sint privilegiati, uti sunt Clerici de Jure Divino & utriusque Juris privilegio circa sua bona: quæ optima est, libenter concedo, quod ex Jure naturalis dictamine vel etiam præcepto contribuere debeant Ecclesiæ, & Ecclesiastici, ad communes publicas necessitates, præsertim si ipsas etiam Ecclesias æqualiter cum Laicis illæ tangant; nego tamen, quod debeant ex imperio præcisè, & voluntate Laici Principis, aut juxta ipsius placitum, titulo jurisdictionis onera talia imponentis. Certè in *cap. non minus 4. hoc tit.*, ne naturali obligationi derogeretur, satis cavetur, dum statuunt Jura, in tali casu, quo publica necessitas ab Ecclesijs etiam & Ecclesiasticis subsidia exigat, fieri ea debere, ita tamen, ut prius à Clero, & Episcopo examinetur, utrum tanta necessitas hinc & nunc urgeat, cui sublevandæ Laicorum facultates (sine gravi gravamine scilicet, ut advertit Suarez) non sufficiant: si verò ferat necessitas moram, ipse etiam summus Pontifex de hoc consulatur; subsidia autem talia non à Laicis extorqueantur, sed humi-

liter & devotè, cum gratiarum actione recipiantur: ita textus *cap. adversus*. Neque dici potest per contrariam consuetudinem capitula hæc abrogata esse, cum enim ex *cap. finali de consuetud. patet*, quod consuetudo, quæ est irrationalis, aut quæ introducitur, nec legaliter consentiente Pontifice, ad abroganda Jura Canonica nihil valeat; consuetudo autem illa, quæ à Jure corruptela appellatur, quæ est hæc consuetudo *cap. quanquam 4. de censibus, & cap. 1. hoc tit. in sexto*, & quæ libertati ac immunitati Ecclesiasticæ obviat, irrationalis sit, ut advertit Glossa in *cap. relat. finale v. rationabilis*; neque de ea consuetudine consensus legalis Pontificis habeatur, quam singulis annis in Bulla Censæ sub excommunicationis pena prohibet Pontifex; consequenter talis consuetudo, sive potius corruptela, & abusus, ad abroganda Jura Canonica nihil valeat potest.

Ex his autem apparet primò. Non esse improbabilem eorum sententiam, quam *lib. 4. Theol. Moral. rr. 9. cap. 6. cum Civilistis* quibusdam tenent etiam Canonice aliqui, quod scilicet Ecclesiæ & Ecclesiasticorum prædia teneantur etiam ad præstationes aliquas vehiculares, ad communem necessitatem ab antiquo prædij subibus, priusquam ad Ecclesiam pervenerint, impositas: quin etiam non improbabilem parer, quod ad novas etiam præstationes vehiculares, quas in casu occurrentis necessitatis, de novo nonnunquam imponunt Principes, ex prædij, saltem titulo merè civili possessis, obligentur Ecclesiæ, & Ecclesiastici, ob allatas rationes superius, probabiles, aut præsumptivas.

Ex quibus rationibus, præsertim quæ in Concordatis quibusdam, aut Conventionibus Statuum Provincialium, tam Laicorum quam Clericorum, in commune bonum consulentium fundantur, apparet etiam secundò, non esse improbabile, quod etiam vectigalia, quæ ratione rerum exoticarum vel intra patriam venditarum, aut empta-

sum, solvi debent, uti & pædagia, acguidagia ab itinerantibus solvenda, ad vias, pontes &c. conservandos, ad tuta itinera præstanda &c. etiam ab Ecclesiasticis agris suis solvere debeant, non tantum si propriè dictam negotiationem, Clericis prohibitam, exerceant ad lucrum ex re emptâ, & non mutata divendita faciendum; sed si ex suis etiam prædijs collecta illa, aut meliorata ad privatas suas necessitates transferant, & distrahant. Et quamvis à plurimis Canonistis, non tantum rigidioribus, immunitatis realis Ecclesiasticæ patronis, sed illis etiam, qui Laicis circa Ecclesiasticorum hæc bona concedunt aliquid, hæc non tam facilè admitantur, ob nimis claros terminos, hinc inde relatos tam SS. Canonum, quàm Jurium Civilium, & quòd gravi metu coacti, ad hæc talia contribuenda consentiant Prælati, quale voluntarium non sufficit, ut dici possint sponte contribuere: quia tamen communissimæ praxi aliquid concedendum, tolerari hæc possunt, ut non improbabilia; ita tamen, ut nulla appareat probabilitas illius sententiæ, quæ coactivam etiam vim seculari Principi, ab Ecclesiasticis personis, ad hæc onera extorquenda permittit in illo casu, quo ad onera hæc ex consensu proprio, aut tacito pacto obligantur, & executionem, etiam per pœnæ impositionem, pecorum abactionem, bonorum arrestationem &c. auctoritate publica factam concedit. Quæ praxis, nisi fundetur in privilegio à summo Pontifice obtento, defendi non potest: cum enim ex omnium confessione coactio talis & executio sit actus jurisdictionis, Laicis autem nulla jurisdictio competat in personas, aut bona Ecclesiastica, ut ex dictis patet; consequenter etiam nullavis coactiva, aut executio autoritativa illis concedi potest: neque hi, qui taliter jurisdictionem in personas aut bona Ecclesiastica exercent, aut per se vel per alios, directè aut indirectè exequuntur, vel ad hoc auxilium, consilium, aut favorem præstant, ab incurrenda excommunicatione Bullæ

Cœnæ casu 17. & 18. excusari possunt, nisi privilegio Pontificio innixi hoc faciant, aut frigidum illud, & parum probabile opponere velint, Bullam Cœnæ, quoad hæc sibi displicentia, non esse receptam.

Dixi tamen: si publicâ auctoritate hoc faciant; quòd si enim privatâ tantum auctoritate Laicus aliquis Clerici debitoris bona sibi detineat, dum solutionem ipsi expediat, vel per legitimum suum judicem ad solutionem cogatur, aut occultam sibi compensationem faciat in casibus, quibus ea licet, nihil contra immunitatem aget, cum nullam in Clericum aut bona illius jurisdictionem exercent, sed medium jure naturæ concessum arripiat, ad solutionem expediendam, necessarium.

CAPITVLVM VIII.

Quia plerique.

PARAPHRASIS.

Delatum fuit ad Innocentium III. quòd Prælati aliqui Ecclesiastici sub prætextu Procuratorum Legatis Apostolicæ Sedis tribuendarum, à subditis plus extorqueant, quàm necessarium sit: talen proinde iniquam exactorem non tantum prohibet in Concilio Generali hic Pontifex, sed vult etiam, ut extorta restituantur, & pauperibus tantundem largiantur iniqui hi exactores, quantum extorserunt, ita ut velit Canonica etiam ultioni subjacere Superiores Ecclesiasticos, si querela injustæ hujus exactoris ad eos delata fuit, in executione tamen hujus constitutionis sint negligentes.

SUMMARIUM.

*Quid in hoc Capit. de Jure Natura sit,
& quid de Jure positivo pœnali?*

Notandum. Restitutionem injustè aquisitorum faciendam esse injustè læso, Jus naturale, & justitia commutativa docet, ita, ut hæc restitutio, non tam pœna sit

injusta exactionis, quam damni illati reparatio, juxta justitiam, cuilibet æquæ exigentiam, quæ non patitur cum alterius damno lucrum quærere *Glossa in notatis*. Quod verò pauperibus tantundem eregandum sit, quantum sub prætextu splendidi, iniquæ tamen exactionis, ablatum fuit, pœna est à delinquente exsolvenda. Et quavis in *Cap. procurationis 23. de censib. &c.* statuatur, ut si quid nomine procurationis indebitè acceptum sit, tantundem detur Ecclesiæ, à qua acceptum est: hinc verò tantundem dari pauperibus jubetur, quia res Ecclesiarum & Clericorum sunt pauperum, & in illo casu, in quo gravatur Ecclesiæ, huic sine dubio succurrendum; in alio verò casu, ubi læduntur subditi his per pauperum eleemosynam subveniri potest.

CAPITVLVM IX.

Ecclesiæ.

Agitur in hoc Cap. quæ Ecclesiæ gaudeant privilegio asyli. De quo vide *cap. 6. hoc tit. notand. 2.*

CAPITVLVM X.

Immunitatem.

In hoc Cap. inter crimina excepta, quæ non gaudent sacri asyli immunitate, numerantur homicidia, & mutilationes in Ecclesijs aut Cæmeterijs facta. De quibus vide *cap. 6. hoc tit. notand. tertio. n. 6.*

CAPITVLVM I.

in Sexto.

Quia nonnulli,

PARAPHRASIS.

Quæ prius statuta fuerunt in antiquis *cap. quarto hoc tit.* ab Alexandro III. in Concilio Lateran. & postea etiam in Concilio

Lateran. *cap. primo hoc tit.* confirmata fuerunt, ab Innocentio III. circa immunitatem realem bonorum Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum; confirmat etiam de novo in *hoc cap. in sexto* Alexander IV. graviter conquellus contra dominos temporales, & eos, qui jurisdictionem temporalem, seu facultatem a civitatibus, castris, & villis exercent, annuntiantur, & student, ut collectas & tallias ab Ecclesijs persolvantur, præterea bonorum, quæ acquisiverunt, aut eorum manus ponant (in alios, Laicos scilicet, distrahendo) & ut (super his omnibus sollicitè provideat, ac temerarijs auctoritate congruis remedijs obviet, & auctoritate Apostolica, præhabita cum Cardinalibus diligenti deliberatione decernat, non licere illis, qualescunque sint, qui jurisdictionem temporalem, sive facultatem obtinent, & exercent, tallias, & collectas, seu exactiones quascunque Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab illis ex domibus, parochijs, vel quibuscunque possessionibus ipsiusdem Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis legitimè hæcenus acquisitis, vel in posterum acquirendis, etiam ipsæ Ecclesiæ vel personæ, vel res hujusmodi intra illorum districtum, seu territorium sint constitutæ; nec etiam licere illis (dominis temporalibus, & jurisdictionem tantum sæcularem habentibus) Ecclesijs vel personis Ecclesiasticas, ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manus suas ponendum, seu acquisita, vel quæ deinceps acquirant, aliquatenus compellere.

SUMMARIUM.

1. Quomodo intelligenda sit illa lxxvii. regula, quod res transeat cum eorum suo?
2. Hujus cap. verba benè perpenſa sunt tantum bonorum Ecclesiasticorum immunitatem.

immunitatem, à collectis Laicorum probant, sed bonorum etiam titulo civili ab Ecclesijs & Ecclesiasticis aquirendorum.

3. Immunitati etiam Ecclesiastica circa bona repugnat, impedire, ne ad Ecclesias aut Ecclesiasticos bona immobilia perveniant, aut penes illos permanent.
4. Neque dici potest jus collectandi per talem exemptionem multum ledi, & grave damnum pari Principem Laicum.

Notandum primò. Verba hæc adeò clara esse, contra eos sæculares Magistratus, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos ad exactiones, & collectas quaslibet, ex bonis suis solvendas adigunt, quamvis etiam ex jurisdictionis lege onerata fuerint, & postmodum ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas translata fuerint, ut major explicatio necessaria non sit, plurimum tamen necessaria sit sanctior immunitatis, Ecclesiastica realis observatio; & regula Juris, quòd res cum suo onere transeat, ut capit. huic non contradicat, de onere, quod à proprietatis domino, & non tantum jurisdictionis, impositum est, intelligi debeat: contra quam regulam, si in omni sensu latissime intelligatur, pugnant plura axiomata juris; quòd mutetur scilicet bonorum qualitas, quam titulo jurisdictionis patitur, si mutetur persona; quòd bona velut accessoria sequantur conditionem personæ (saltem quoad exemptionem) quòd res semel Deo consecratæ, nullis profanis usibus applicandæ sint; quòd cavenda sit jurisdictionum confusio; quòd Laicis nulla concessa sit contra Ecclesiasticos imperandi potestas, quos manet parendi necessitas. Et quamvis pro praxi Laicorum hodie usitata, in prioribus Capit. præsertim *Cap. adversus 7. hoc tit.* plura tanquam probabilia permilla sint, circa tales exactiones, quas Laici ab Ecclesijs, & Ecclesiasticis extorquent, saltem circa bona, civili titulo acquisita; dura tamen merito videri po-

test illarum sententiarum probabilitas, si hujus cap. verba velit aliquis bene perpendere, & examinare, ubi expressè prohibet Pontifex ex illis etiam bonis exigere ab Ecclesijs & Ecclesiasticis personis collectas, quæ legitimè (civili scilicet titulo) acquisiverunt, aut acquirunt, etiam si sint hæc talia bona in territorio Principis constituta; ut adeò, si hujus constitutionis verba propriè observentur, nihil excuset Principem à talibus exactionibus territorij dominium, sub cuius prætextu volunt aliqui tales exactiones Laicorum Principum, ab Ecclesiasticis factas, excusare; quasi verò communissimum illis Juris peritorum principium ignotum esset, quòd possint aliqua in territorio Principis alicujus existere, quæ tamen non sunt de territorio.

Notandum secundò. Sollicitam adeò esse quorundam sæcularium industriam, ut, cum nolint Ecclesiarum immunitatem & personarum Ecclesiasticarum lædere, cum tam gravi conscientiarum suarum remorsu, & penâ; velint tamen etiam Principibus suis sæcularibus cavere, ne patiantur reddituum aliquam diminutionem: conveniens putabant remedium, si impedirent, ne bona (immobilia scilicet, domus, prædia, aut similes possessiones, de quibus loquitur Pontifex) ad Ecclesias aut Ecclesiasticos pervenirent, aut permanerent apud illos, cogendo eos (per statutum v. g. quod nullius tamen est roboris, si à Laica tantum potestate emanavit) ut extra manus hæc talia ponant, in Laicos v. g. hæc talia distrahendo, vendendo, aut alienando &c. ut ex illis bonis sine scrupulo exactiones, & collectas habere possint sæculares principes: si tamen verba hujus Capit. observentur, etiam hæc industria, auctoritate Apostolica, matura super hoc negotio cum Cardinalibus habita deliberatione, prohibita est, cum verbis hujus Capit. non tantum prohibitum sit, tales collectas imponere, sed prohibitum etiam sit eas exigere, qualis exactio tantum de illis collectis, quæ jam olim impositæ fuerunt, intelligenda est.

Neque

Neque dicas, quod per talem exemptionem, jus collectandi in a iquo territorio, magnum patiatur detrimentum, & Principi sæculari magnum damnum inferatur. Respondetur enim, negando sequelam hanc, cum diminutio hæc non fiat in proprijs bonis Principis, vel in iure æquivalente dominio proprietatis, ob cuius læsionem propriè loquendo damnum pateretur Princeps, ex negata sibi pensione iure iustitiæ commutativæ debita, sed tantum ex iure jurisdictionis, ex quo nulla est obligatio curæ, ut bona talia maneant sub jurisdictione Principis, vel Magistratus sæcularis, cum quilibet dominus proprietatis de bonis suis liberè disponere possit, præsertim illa donando Deo vel Ecclesiæ, per quam donationem, cum talia bona fiant Ecclesiastica, censentur merito talium bonorum naturam induere: præsertim cum in tali casu exemptus à tributis sæcularibus pendendis non tam habeatur ex auctoritate juris positivi humani, quàm ex auctoritate juris divini, vel humani in divino fundati. Videantur plura circa immunitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticorum in *Theolog. Moral. l. 4. n. 9.*

CAPITULUM II.

Decet.

PARAPHRASIS.

Plurima in hoc Capit. præscribit Gregorius X. Pontifex in Concilio Lugdunensi Generali, ad reverentiam Ecclesiarum observandam, quod scilicet humilis, & devotus ad Ecclesiam ingressus esse debeat; quod debeat fieri exhibitio reverentiæ specialis, præcipuè dum pronuntiatur sanctissimum Nomen JESU, dum aguntur Missarum solemnia; quod orationibus in Ecclesia inserviendum, & nullæ excitandæ seditiones; quod sæculares civiles Conventus, seu Parlamenta, in Ecclesia facere non debeant; quod quæcunque profana colloquia, & multo

magis sæda & impura, quælibet confabulationes, & quæcunque divinum officium turbare possunt, intermittere debeant: quod in Ecclesijs earumque Camerarijs, negotiationes, iudicia sæcularia, maxime criminalia, ac nundine perimitti non debeant; quod processus & sententiæ iudicum sæcularium in Ecclesijs, earumque Camerarijs, prohiberi, nullius sint firmitatis, ita ut Laicorum etiam Ordinarios obliget Pontifex, ad curandam diligentem horum observationem; concludens tandem hanc suam Constitutionem, quod transgressores horum, qui præmissas inhibitiones perulant animo contempserint, & per processum Ordinarios, & ab illis deprecandorum Divinæ & Pontificiæ ultionis acrimoniam formidare debeant, donec summo confessi reatum, firmato proposito à similibus deliberaverint abolvere: quæ omnia sanctissime quidem pro reverentia tam Ecclesiarum, quàm divinatorum mysteriorum hoc titulo facta fuerunt, & longiore explicatione non indigent, cum clara sint omnia; licet tamen non tam sanctè, & accurate, ob negligentiam, & nimiam læpè Pærochorum dissimulationem observantur, quos convenientibus etiam penis, ut ad illis excitentur, qui in illos jurisdictionem habent, ad sanctiorem divinatorum, & suarum sibi commissarum Ecclesiarum curam videri velle Pontifex extollere, dum vult eos hujus etiam Canonice auctoritate, & metu penarum terretandos.

CAPITULUM III.

Clericis.

PARAPHRASIS.

Etiam in hoc Capit. in eos Laicos invehit Pontifex Bonifacius VIII. qui Clericos collectis, tallijs &c. gravant. aliter, suadere antiquitatem, & præsentium ex-

perimenta temporum ostendere, quod Laici oppidè infesti sint Clericis, & suis finibus non contenti, nitantur in vetitum, & ad illicita frænum relaxare, nihil attendentes, quàm sit eis in Clericos, & personas Ecclesiasticas interdicta potestas; & idè collectas illis, tallias, & alia gravia onera imponentes, suorum proventuum decimam, aut quottam aliam ab illis exigunt, & extorquere moliantur; quorum abusus ipsi etiam Prælati Ecclesiastici, temporalem potiùs, quàm spiritualem divinam majestatem metuentes, temerariè, & improvidè acquiescunt, Sedis Apostolicæ auctoritate, & libertate non obtentâ: ut proinde talibus iniquis actibus obvictur, cum suorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica se decernere, ut quicunque deinceps Ecclesiastici, Religiosi, vel Sæculares, quorumcunque Ordinum, conditionis, seu statûs, in collectas tales juxta Laicorum exactiones solvendas, consenserint, aut quomodocunque demùm sub prætextu adjutorij, mutui, subventionis, subsidij, vel doni contribuerint, absque auctoritate Sedis Apostolicæ: Imperatores verò, Reges, & Principes, Duces, ac Comites, Barones, Potestates, Capitanei, vel Rectores, quocunque nomine censeantur, qui talia exegerint, imposuerint, vel receperint, aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum bona arrestaverint, seu occupare præsumserint, seu arrestari mandaverint, aut arrestata acceperint; nec non omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, aut favorem, publicè vel occultè, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant; Universitatis verò, quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponantur interdicto; Prælati etiam, & personis Ecclesiasticis, in virtute obedientiæ, & sub pena depositionis districtè mandans, ne talibus, absque petita Sedis Apostolicæ licentiâ, ullatenus con-

sentiant, excommunicationis etiam & interdicti sententiam Sedis Apostolicæ reservatam incursum, si solverint aliquid; cum Apostolica Sedes non velit tam horrendum sæcularium potestatum abusum tolerare, & nolit ullatenus dissimulare, non obstantibus quibuscunque privilegijs, sub quacunque verborum forma, ipsis etiam Imperatoribus, Regibus, & quibuscunque alijs, concessis, quæ in quantum contra prædicta sunt, nullatenus suffragantur.

SUMMARIUM.

An hac constitutio Bonifacij VIII. sit revocata?

NOTandum. Justam hanc esse Bonifacij VIII. constitutionem, quæ necessaria videbatur, ad multos abusus sæcularium Magistratuum corrigendos, ita tamen, ut ob multas deinde difficultates, gravia incommoda, & magna pericula, ac scandala à Clemente V. in Concilio Vienn. per Clementinam unicam revocata sit, quoad pœnas in eos Ecclesiasticos statutas, qui tales à Laicis impositas exactiones solverunt; quod ipsum etiam habetur in *Extravagante Benedicti XI. Quod olim hoc tit. inter communes*: ubi dicitur, quòd exigentes quidem talia tributa à Clericis, vel mandatum, consilium, aut favorem ad hæc exigenda suggerentes pœnas dictas incurrant: locum tamen pœnæ istæ non habeant, respectu solventium tales collectas: & quamvis *Glossa in relatam Clementinam v. quoniam, & v. interfectis* putet, dictam constitutionem Bonifacianam, per dictam Clement. omnino revocatam esse, quæ assertio sua probabilitate non caret, cum Clemens dicat, penitè se eam revocare, & quæ vi illius facta sunt, habere se pro infectis: observanda tamen inviolabiliter, quæ in Concilio Lateran. cap. non minus 4. & cap. adversus. 7. hoc tit. in antiquis statuta fuerunt. Quia tamen hujus constitutionis confirmatio, quoad pœnas in Laicos,

Aaa a

qui

qui tales collectas &c. exigunt, aliunde factis habetur ex relatis iuribus; quoad dantes verò tales collectas, ex omnium mente & claro textu Bonifaciana constitutio revocata est, non videtur multum in ea immorandum.

CAPITVLVM IV.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Cum eousque Laicorum quorundam, quibus iustitiæ administratio, & litium forensium componendarum potestas erat, temeritas præsumptuosa excreverat, ut eos, qui litteras Apostolicas ad delegatos impetrarent, vel ad ordinarios iudices Ecclesiasticos recurrerent, ut in negotijs, & quæstionibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus ab impetrantibus impedirent iustitiam, & ut ad iudicium suum sæculare accederent, vel omnino à lite desisterent, compellerent: statuit Bonifacius VIII. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne talia in posterum à Laicis iudicibus, cum impeditioe debitæ iustitiæ fierent, districtè inhibendo, ne quis tales litterarum Apostolicarum impetratores, vel alios in foro Ecclesiastico litigantes, aut litigare volentes, sive ambæ partes hoc voluerint, sive una tantum, super causis Ecclesiasticis, per se vel per alium ad desistendum, vel in foro suo sæculari litigandum, per captionem etiam rerum ad hos pertinentium, modisve alijs quibuscunque compellat, vel compelli faciat, aut procuret: non absolvendi ab excommunicatione, nisi de damnis, & expensis tam iudici, cuius cognitio fuit impedita, & iurisdictione læsa, quàm parti læsæ in prosecutione litis, & iustitia impetranda integrè satisfecerint: ita ut ad hanc absolutionem impetrandam non sufficiat cautio per pignus, aut fidei iutores de læsione reparanda, ut advertit

Glossa hic V. satisfactum. Prohibitio præsta & clara est, ad iurisdictiones super diversis causis, quarum aliquæ ad forum præcisè Ecclesiasticum, aliæ ad forum præcisè civile pertinent, aliæ vero mixti fori sunt, ubi præventio locum habet, prout in titulo de foro competente in secundo lib. Decret. pluribus dicitur, non confundendâs; & ut ait Pontifex, ad Ecclesiæ iustitiam conservandam, ne se & sua negligat, quæ alios in iustitia confovet.

CAPITVLVM V.

Eos qui.

PARAPHRASIS.

Decernit in hoc Cap. Pontifex Bonifacius VIII. ut illi Laici excommunicationis sententiæ ipso iure subiacent, qui temporale dominium obtinent, & suis subditis prohibent, ne Prælati, aut personis Ecclesiasticis sua obsequia temporalia præstent, vendendo aliquid illis, vel ab illis emendo aliquid, molendo illis frumentum, panes coquendo, aut alia obsequia præstando, ut textus loquitur, qualia sartores v. g. pilarii, carpentarii &c. quos nominat *Glossa*, exhibere solent & possunt, ut ad collectas eos, quibus directè imperare non possunt, indirectè saltem compellant: cum enim absque horum obsequiorum, quæ Laicis præstari solent, exhibitione vivere non possint Clerici, & consequenter, per talem prohibitionem multum lædatur libertas Ecclesiastica; non quidem temporè, ut advertit *Glossa hic V. libertaria*, quoad verba, quæ directè sæcularibus loquuntur, in quos iurisdictionem habet Laicus Princeps; sed quoad mentem, indirectè saltem urgendo Clericos, si relictui suo, & vitæ necessaria habere velint. Neque hoc cap. contra eos Laicos tantum loquitur, qui nihil sive nulla obsequia vendendo, aut emendo præstare præ-

Ne Clerici, vel Monachi se negotijs secularibus &c. 555

bent Clerici; cum particula, *aut*, qua utitur in hoc Capit. Pontifex, disjunctiva sit, & consequenter (in hac materia Clericis, & Ecclesijs favorabili) distributivæ virtutis, ita, ut suam significationem prohibitio habeat, si in uno tantum membro verificetur; si prohibea-

tur scilicet Laicis, vel vendere aliquid Clericis, vel ab his emere aliquid, aut aliud illis obsequium temporale, qualia solent mechanici, exhibere, ita ut excommunicationem sint incurfuri, qui unum horum prohibent.

TITVLVS L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SE NEGOTIIS SÆCULARIBUS IMMISCEANT.

Bene hic Titulus subjungitur priori de immunitate Clericorum agente: sicut enim Clerici vi prioris Tituli immunes se putant ab oneribus Laicorum, ita nec secularibus negotijs se debent immiscere.

CAPITULUM I.

Multa.

PARAPHRASIS.

Negotia multa in hoc Capit. Concilium Moguntinum recenset, à quibus abstinere debent Clerici; quæ quidem, uti plura alia in Jure Canonico præcepta, aut prohibita, quoad intelligentiam illorum nullius sunt difficultatis, sola accuratâ lectione sufficienter intelligenda; in praxi tamen, utrum obtineant, viderint illi, qui cum intelligant SS. Canonum vim & obligationem, ab eorum tamen observacione plurimum discedunt.

CAPITULUM II.

Sacerdotibus.

PARAPHRASIS.

Prohibet Eugenius Papa Sacerdotibus &

Clericis (in sacris constitutis) ne Laicorum sint in negotijs eorum (laicis) ministri, sive negotiorum eorum gestores, aut procuratores: denuntians insuper illis, si in negotijs talibus laicis dicto modo occupari se sinant, quod, postquam ab Episcopo moniti fuerint, ut ab his desisterent, ipsi tamen non desisterint, occasione talis administrationis in re pecuniaria deprehendantur fraudem commisisse, ab Ecclesia defendendi non sint, cum per eos scandalum in Ecclesia generari constet, & sic indignos se reddant auxilio & subventionem Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1. Clerici (in sacris constitutis) si in negotijs Laicis administrandis Laicorum sint Ministri, & in tali negotio deliquerint, ac contra monitionem ab Episcopo factam presumptuose perrexerint, non defenduntur ab Ecclesia.
2. Clerici (in sacris) si coram iudice Ecclesiastico in negotijs Ecclesiasticis Laicorum, aut suorum consanguineorum sint procuratores &c. hujus Capit. pœnam timere non debent &c.

Notandum primum. Defendere qui idem Ecclesiam Clericos suos à Laicorum jurisdictione, sibi privilegium eis concedendo;

Aaa a 2